

gentissimè communicaturi sub utraque specie admonerentur, Christum integrum tam sub una, quàm sub utraque specie sumi. Hæc fuit literarum nostrarum ad illos Prælatos missarum sententia. Hanc autem concessionem à nobis cordis eorum durities, qui communionem sub utraque specie jam pridem tam pertinaciter poposcerunt, multorum tamen gravium & piorum virorum accedente consilio, verè ut dicamus, expressit: ne si eam denegavissimus, illi obdurato animo ab Ecclesia recederent, atque animas suas perditum irent. Cupimus tamen, ac vehementer optamus, ab omnibus, antiquum potius Ecclesiarum observari: & Nobtem tuam hortamur; ut & ipsa eum servet: sicut facturam eam esse confidimus: & ditionis sue populos in eodem Ecclesiarum ritu, & instituto studeat continere: cum hæc humilitas, & erga matrem Ecclesiam pietas, ac reverentia in primis Deo grata futura sit. Datum Romæ apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die primo Septembris M.D. LXIII. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Ant. Florebellus Lavellinus.

§. IV. Ex hæctenus dictis duo consecraria elicimus. (I.) Quod Pontificii cœnas duas, instructiorem & contractiorem vesana libidine in ecclesia sua adstruentes, sint αυτοκατάκρητοι, & quidem dum sub utraq; communionis concessionem ad majus gratiæ augmentum spectare, dicunt. Ita enim Augustinus Bernal, l. supra. c. Utraq; species plus gratiæ confert unâ: Probo id auctoritate Pontificis Clementis VI. qui Regi Gallie utramque speciem **AD MAJUS GRATIÆ AUGMENTUM**, ceu verba Bullæ habent, concessit, & ipsorum Patrum Tridentinorum, quorum sententiâ hæc quoq; erat, licet non definita **NB. NE HÆRETICI TUMULTUARENTUR**. Consentit Hustadus de Eucharistia Disp. X, Dissert. VI. ex hac ratione, quia quælibet species ratione sui, diversimode gratiam significat & confert, ergo unaquæque specialem gratiæ gradum producit: antecedens probatur, quia species panis significat & confert gratiam ut satiantem, quia per modum cibi, vinum vero significat & confert ut refrigerantem, per modum potus &c. Prolixe quoq; majorem duarum specierum quam

quam